

non impediatur ea facere, quae aliis sibi de jure licebat, & quae etiam ipse iudex superior de causa cogniturus, nec debet, nec poterit revocare de jure: quare verissime potest de istis gestis non intelligatur provisio Regia, ac per consequens deneganda est secunda ejus iustio.

43 Ex iis etiam patet, teneri iudicem in repossessione, absolviere excommunicatos, & levare censuras, tum quia etiam sibi exprimitur in provisione Regia, tum quia ad id tenetur, etiam si non exprimitur, quia est attentatum & quid consequitivum ad delationem appellationis, & ejus accessorium, quod non repugnat dispositioni Concilii Tridentini. quia de hac excommunicatione non cognoscit Princeps principaliter, nec per modum jurisdictionis; sed extrajudicialis protectionis naturalis, & nudae defensionis, cujus excommunicationis simplex factum duntaxat in ejus consequentiam, & accessorie venit causative, cum tractatur de principali articulo violentiae quod quantum distat a determinatione Concilii Tridentini, late post alios diximus supra cap. 1. ad responsionem primi argumenti.

44 Quemadmodum autem haec absolutio danda sit, ut cum effectu dicatur adimpleri provisio Regia, & an, & quando per procuratorem, aut etiam per literas, vide pluribus citatis, Zerol. in prax. 2. part. verb. absolutio, q. 16. & vide etiam 1. p. eodem verbo, in prin. & aliter quam per absolutionem censuræ tolli possunt. Videt late post alios Juristas, & Theologos Villalob. novissime in sum. tractatu 16. difficult. 17. per totam.

45 Et cum absolutio ab excommunicatione possit, ob aliquam causam, & rationem, per tempus limitatum dari à iudice ad reincidentiam, ut late Villalob. ubi proxime, difficult. 23. & Covar. in c. alma mater, 1. p. §. 11. n. 6. dubitatur nunc, an oppressus, qui virtute ordinariae de ruego, absolutus fuit per octoginta dies ad reincidentiam, an postmodum intra illum terminum, si declaratur in Senatu, vim intulisse iudicem; an transacto dicto termino nihilominus reincidat in excommunicationem praedictam, ita ut egeat absolutione. In quo

47 duo casus distinguuntur. Primus, quando recurritur ad Senatum pro tollenda violentia ob non delatam appellationem legitimam; & tunc nullum dubium esse potest, ut absolutione egeat; quia decretum tribunalis nihil ponit inesse circa iustitiam censurarum, sed declarat ab extra, vim fecisse iudicem, cui tollenda remittitur, ut videmus, ut etiam superior revocet sententiam excommunicationis inferioris, & omnia ab eo processa, & nihilominus indiget absolutione, quam vel ipse praestat, vel iudici à quo remittit praestandam: textus in c. per tuas, de sent. excomm. Farin. quest. crim. 101. n. 68. Scacia de appella. qu. 17. limi. 22. à n. 34. & 35.

49 Secundus casus est, quando recurrit laicus, de quo reo super causa mere profana iudex Ecclesiasticus vult cognoscere, & oppressit censuris, qui virtute ordinariae de ruego fuit ad reincidentiam absolutus, & declaratum est in Senatu intra terminum absolutionis, vim fecisse iudicem Ecclesiasticum in procedendo, & cognoscendo, ac propterea annullantur omnia acta, & rei cognitio remittitur ad competentem saecularem; an postmodum reincidat transacto termino, ita ut absolutione egeat, Bobadill. in politic. cap. 19. n. 46. firmat absolutionem necessariam esse. Ceval. autem in tractatu de cognit. per viam violentia; q. 59. prope finem, contrarium tenet dicens, quod pendente absolutione, cum causae cognitio remissa fuit iudici saeculari, inhibito Ecclesiastico nulliter procedente, postmodum adveniente termino non reincidit, quia nec est contumacia, nec peccatum, & sic nec materia, super qua cedere possit excommunicatio.

50 Cujus resolutio mihi difficilis videtur, cum negotii remisso, vel retentio non fuerit apposita pro causa absolutionis, prout & in minus dubitabili casu videbi-

mus. Etenim quando datur absolutio ad reincidentiam per certum terminum, intra quem pars satisfacere non potuit; hoc casu dixit Suar. tract. de censur. disp. 7. sect. 8. num. 27. sibi videri, de novo incurrere, quia ad id non est necessaria nova culpa, nec nova contumacia sicut quando fit absolutio ad aliquem actum, quia illa, moraliter loquendo, eadem est. Villalob. autem in Sum. tract. 16. difficult. 15. n. 6. dicit hanc sententiam probabilem, ac etiam contrariam; quia hic terminus fuit datus, ut satisfaciatur, & quando non potest, ad id non est obligatus, quare in nostra difficultate tatiorem esse absolutionem censeo.

Et pro complemento hujus §. primi illud tandem adnotabis, ut quoties per iudicem Ecclesiasticum non fuisset satisfactum provisioni, & decreto Regio, vel integre, aut cum effectu non adimpleat secundum doctrinas quae hactenus scripsimus; potest recurri ad Senatum pro secunda, & ulteriori iustione, donec integra liter, & eum effectu adimpleat; quia tunc adhuc violentia durat, quae in Senatu denegari nunquam solet: quoniam hujus extrajudicialis cognitio, nuda protectio, & naturalis defensio tantum durat, quantum violentia, non amplius, prout eleganter consideravit Fulvius Pacian, conf. 164. & ex Sele adnotavimus superius, & quia non sufficit defendisse, si defensio non durat juxta l. 1. ait prior, ff. quorum legat. Hippolyt. de Marfil. in l. 2. in fin. ff. ex quibus conf. in poss. eatur, & hoc jure utimur, & est textus mirabilis in c. ut fama, de sentent. excommunic. & ea quae nos supra, cap. 2. à num. 285. cum seqq.



§. II.

De provisione processus non integri (de autos diminutos à pragmaticis dicta) & quando concedi, & quomodo concedenda.

S U M M A R I U M.

- 1 Acta omnia sunt necessaria, ut de iniquitate iudicis procedenti appareat.
- 2 Acta integra sunt necessaria gesta à iudice, quia aliter veritas apparere non potest.
- 3 Actorum partem non sufficit transportare.
- 4 Acta omnia sunt exportanda.
- 5 Nullitatem allegans tenetur, omnia acta exhibere, ut possit argui contra sententiam.
- 6 Violentia cognitio aliam ab extra probationem non admittit, ultra processum.
- 7 Afferenti acta esse diminuta, & dismembrata, provisio de autos diminutos dicta conceditur in Senatu.
- 8 Actus praesumitur perfectus, si aliud è converso non appareat.
- 9 Acta integra praesumuntur transportata, quando de contrario non docetur.
- 10 Acta integra non esse, sed diminuta afferenti incumbit onus probandi.
- 11 Acta intitulata à Notario sic ( copia omnia actorum, ) praesumuntur integra.
- 12 Etiam si ex lectura processus appareat aliquid deficere.
- 13 Provisio de autos diminutos quando inspicitur processus, petitur, vel in causa proxima est inspiciendi, quando sit reservanda eidem inspectioni.
- 14 Provisio denegatur si ex inspectione processus conspiciatur, vel non deficere, vel deficere non essentialia ad articulum violentia, & proceditur ad ejus decretum.
- 15 Provisio de autos diminutos quando concedatur cum termino limitato, & expensis adversario praestandis, casu, quod non defecerint alia acta.

Provisio

16 Provisio de otos diminutos conceditur postulanti, quando inspecto processu detegitur, deficere appellatione, & simul datur decretum processum non venire per ordinem.

17 Acta omnia transportare in causa appellationis sive à diffinitiva sive ab interlocutoria, quis teneatur, remissive.

U T de iniquitate iudicis perperam procedentis appareat, acta omnia sunt necessaria, quia ex eorum inspectione apparere, supra diximus late, & insuper facit l. eos, §. super his, C. de app. cap. cupientes 16. vers. cum omnibus actibus electio in 6. Rota coram Giphio in una Placentina administrationis Sacram. 1. Decembr. 1567. de qua testatur Gratian. dissect. foren. capite 121. numero 9. B. in authen. de his qui ingredi. ad app. in prin. num. 19. col. 3. & in l. hi qui, sub n. 4. C. de appell. Capell. Tholof. decif. 341. ad med. vers. aut utraque pars, Guido Papae q. 436. n. 9. concl. 7. Papiens. in form. appell. verb. & in quantum, n. 6. Marcardus de probat. concl. 115. n. 5. optime Bald. in l. 2. is apud quem, versic. ex quo not. C. de edendo, ad effectum cognoscendi naturam appellationis, an admitti debeat, vel non, tenet Anton. à Sola in comment. ad novas constit. Sabaud. tit. 28. gl. 7. sub num. 2. optime Cravet. conf. 273. nobilis, n. 5. vol. 2. Veronens. conf. 35. vers. secundo principaliter, text. in cap. cupientes ubi omnibus actibus, de electio l. nec causas, l. a praconsulibus. l. pracimus, leg. eos, §. super his, C. de appellatio.

Idem integra omnia acta ab eodem iudice gesta sunt omnino necessaria, quia aliter veritas certe apparere non potest, prout expressè probat Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 20. §. prateria: aliter autem inspectio, & gesta actibus diminutis, ac dismembratis, & non integris, penitus corrumpunt, ut post Rotae decif. & Marquell. tenet pulchrè Joan. Hieronym. Campa. divers. jur. cano. rub. 1. cap. 13. sub n. 3. 14. vers. & si non integras iter exportaverit. Ubi testatur Rotam iteratis vicibus, ita terminasse, ut testatur Plat. in una Coronensi bonor. de Sciillo Merentii 28. Junii 1589. quae inter congregate à Prospero Farinac. est decifio 104. decif. Fivez 1. num. 13. p. 3. quod acta integraliter sunt transferenda, quia aliter non potest causa rectè percipi, nec cognosci, tenet Marian. Ant. Marcerat. varia. resolu. 50. n. 55. ubi allegat Trid. & decisionem Rotae 64. n. 7. p. 1. in novissimis Marquellan. tractatu de commiss. de volut. caus. ad Rom. cur. 2. p. cap. 11. num. 11. fol. 592. & quod non sufficiat productio actorum, nisi integre facta fuerit, probat Gratian. dissect. foren. 1. p. cap. 121. n. 28. per Rot. coram Cardin. Millin. Placent. Castri 4. Julii 1601. plures citat Giurba decif. 29. per totam, & probat jura supra, allegata.

Et quod omnia acta sunt exportanda, idem quod non sufficeret transportatio partis actorum, etiam facientium contre appellentem, tenet Vantius de nullitate. sentent. rub. à quo & quibus, & c. sub num. 20. & 21. Sequitur Scacia tractatu de appellatio. quest. 20. n. 8. in prin. & quod omnia acta debeant exportari tenuit Rota per Cardin. Seraphin. Immol. Castror. 16. Martii 1576. quam referens sequitur Gratian. dissect. foren. 21. sub n. 8. in fin. & 9. per quem dicit, quod allegans nullitatem tenetur exhibere omnia acta, ut possit argui contra sententiam, citat Vanti. ubi etiam n. 10. dicit, ita servari in omnibus curiis, sive sumus in sententiis diffinitivis, sive interloquutoriis, ut testatur Ranchin. in addit. ad Guid. Pap. quest. 20. & idem etiam quod Gratian. d. n. tenent idem Ranchin. Capell. Tholof. decif. 91. & 341. Guid. Papae decif. 431. & per eandem Rotae decisionem Molendin. idem dicit Aloyf. Ricc. in prax. Eocl. decif. Arch. Neapol. apellationum decif. 510. num. 7. & per totam, tenet etiam Marefcot. variar. resol. lib. 1. cap. 43. n. 1. quare cum acta omnia sunt omnino

necessaria non diminuta, sed integra, ut queat cognosci de iniquitate, violentia iudicis, praecipue in hac extrajudiciali cognitione, ubi alia ab extra probatio non admittitur, merito afferendi acta diminuta, & dismembrata, provisio, quae de autos diminutos dicitur conceditur quia incivile est nisi tota lege perfecta iudicare, l. incivile. ff. de legib. quia multoties talis potest particula processus deficere, quae respectu articuli violentiae sit multum necessaria, quae vel iustificet, vel alteret, & variet naturam, aut privilegium appellationis.

Sed cum in dubio regula generalis sit, quod actus praesumatur perfectus, si aliud è converso non appareat, l. sis qui, ubi Bald. & Imol. de testam. lib. in rub. ff. de novi oper. nuntia. in fin. inde similiter acta transportata integra esse praesumitur, quando aliquid non doceatur, ita tenet Aymon. Cravet. de antiquit. tempor. p. 2. n. 15. Marquell. tractatu de commiss. d. 2. p. cap. 11. num. 11. Gratian. in dissect. foren. d. c. 121. num. 28. allegat ad id Rotae decisionem Marefcot. variar. resolu. d. l. 2. cap. 43. nu. 6. Farin. decif. 884. n. 2. Giurba decif. num. 3.

Aded ut afferenti acta non esse integra sed diminuta, incumbit onus probandi, tenent ipsi Doctores proxime citati, & fuisse dictum in una Senogalienti Silvae 14. Maii 1577. coram Cotta testatur Marefcot. ubi proxime, & in alia Mediolanem, bonorum Emphyteoti 10. Januarii 1692. coram Dom. Ludovic pariter testatur Gratian. cap. 121. n. 29. idem tenet Scac. de appell. quest. 20. num. 15. ubi per Cravet. testatur de communi opin. & ita testatur etiam late Rot. Roma. decif. 64. fuit resolutum, n. 3. in fin. & n. 4. & 7. p. 2. divers. Rota decif. 63. n. 4. p. 1. divers. Marquellan supra, n. 12. Giurba ubi proxime, ubi extra hos alios citat.

Quod maxime procedit, quando sumus in copia actorum, & esset adnotatio intitulata (Copia omnium actorum) prout ita praestari firmat Scacia ubi proxime, n. 16. qui ulterius n. 17. hoc extendit, etiam si ex lectura processus appareat, aliquid deficere, quia adhuc afferenti diminutionem actorum incumbit onus illam probandi, & extare alia acta non transportata, Rota decif. 64. num. 8. vers. quinimo.

Quare cum in Senatu aliqua non potest admitti probatio, ne differendi occasio deat, aliter consultus malitiis, & cavillosis dilationibus: etenim si quando tribunal incipit inspicere processum, vel praesto est, aliqua pars asserat, acta deficere, & esse diminuta, nihilominus non suspenditur inspectio, sed illi reservatur provisio petita, etsi processu inspecto cognoscatur malitia petentis, sola differendi causa moti, quia vel non deficient acta aliqua, vel quae deficient, nihil tangant violentiae articulum, illique nec profiunt, nec nocent ut tenet Scacia ibi proxime, n. 13. textus optimus in l. argentar. §. edi autem, edi autem ratio ita intelligitur, si à capite edatur, nam ratio nisi à capite inspiciatur, intelligi non potest: & iterum; sed ut ea sola pars, quae ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur, & describitur, & c. ff. de edendo, tunc denegata tacite, vel expressè provisione de autos diminutos petita, proceditur ad decretum.

Si autem tempore, quo petitur provisio haec, praesentibus non habetur processus, ut quando petitur die, quo non solent violentiae inspicere, & Senatus praesumat malitiam, & dilationis causam, vel quando aliis est dubius per processum inspectionem, an sint alià acta, vel non, solet concedere praedictam provisionem ad brevem, & limitatum terminum, intra quem si acta, quae deficere asserit, non adducat, solvat expensarum nomine alteri parti tot drachmas in dies, & insuper termino transacto inspicietur processus.

At verò si post inspectionem processus cognoscatur, natus deficere appellationem, decernitur causam non venire per ordinem, darique jubetur parti insistenti & postulanti, provisionem, de autos diminutos, qua



intimata iudici Ecclesiastico, & tabellioni, integraliter omnibus actis inspectis, iterum in Senatu datur novum decretum, an violentia facta fuisset, vel non, & hoc jure utimur.

- 17 Quis autem in causa appellationis sive ab interlocutoria, sive ad diffinitiva teneatur omnia acta primæ instantiæ exportare, & quorum expensis, & an dispositio Tridentini procedat in omnibus iudiciis tam delegatis, quam ordinariis ultra Episcopos, de quibus loquitur, & de pluribus aliis mirabilibus difficultatibus hujus materiæ exportationem actorum spectantibus, latissime & copiose videre poteris per omnes Doctores modernos in hoc §. 2. citatos, apud quos etiam plenè: an sententia lata, & processus gestus per superiorem actis non integrè exportatis teneat, vide per eos, præcipuè Scaciam, Marefcot. Gratianum, & Joan. Hieron. Campanill. & alios ab eis citatos: de quo nos infra, hac 1. p. cap. 7. Marius Giurba decis. 29. à princ.

## §. III.

Quod jus, seu stylum, an Rotæ, an tribunalis Ecclesiastici, quamve opinionem, Regius Senatus attendere debeat in articulo violentiæ, & an in dubio iudicem vim fecisse, decernat.

## SUMMARIUM.

- 1 Senatores inter cognoscendum de violentia articulo, præ oculis habere debent jus Canonicum, concilia, & decreta Ecclesiastica.
- 2 & 3. Index superior inter cognoscendum, an inferior bene, vel malè processerit, attendit statuta, & stylum tribunalis iudicis inferioris.
- 4 Causa Ecclesiastica ut usura, juramentum, &c. si tractetur coram iudice seculari, decidenda erit secundum jus canonicum, non civile.
- 5 Laicus litigans coram iudice Ecclesiastico, jure canonico, & tribunalis stylo adstringitur, & è converso.
- 6 Iudex Ecclesiasticus subrogatus in locum iudicis secularis eodem modo procedit, quo iudex secularis procedebat.
- 7 Appellationis delatio, seu non est de appellationibus primæ instantiæ, & ideo ejus statuta, & stylo subjacet.
- 8 Appellatio est de ordinariis iudiciis, & ideo stylus & jus illius, à quo proponitur, est attendendus.
- 9 Articulus, an appellationi sit deferendum, vel non, non respicit ordinaria iudicis.
- 10 Ordo, & stylus tribunalis, ubi proponitur appellatio, attenditur in possibilitate appellandi.
- 11 Quod multò magis procedit in appellatione ab interlocutoria ante diffinitivam.
- 12 Stylum, statuta, & constitutiones iudicis inferioris, tenetur attendere superior, inter cognoscendum, an sit deferendum appellationi.
- 13 Senatus inter cognoscendum, an sit deferendum, attendere debet jus canonicum, & constitutiones Synodales, sed & stylum illius iudicis Ecclesiastici, à quo est appellatio emissæ.
- 14 Senatus inter decernendum violentiæ articulum deficiente jure canonico, an potius attendere debeat jus civile, quam Regium.
- 15 Qui teneant affirmativè, ibidem.
- 15 Iudex Ecclesiasticus deficiente jure canonico potius debet attendere jus Regni, quam jus civile, & è converso.
- 16 Laicorum leges non ligant clericos.
- 17 Et quando secus ibidem.
- 17 Laicorum lex si est vel approbata per Papam, vel tacitè recepta, debet attendi in foro Ecclesiastico.

- 18 Stylus tribunalium Regalium multoties practicitur in foro Ecclesiastico, & approbatur per Rotam.
- 19 Senatus in cognitione per viam violentiæ an potius attendere debeat stylum Romanæ Curie, quam illius tribunalis de cuius violentia conqueritur.
- 20 Stylus de partibus etià contrarius stylo Rotæ in ipsa attenditur in libris, quæ transportantur ad Curiam.
- 21 Stylum iudicis à quo in ordinariis iudiciis, Rotæ, & quilibet superior tenetur observare, etiam contrarium stylo sui tribunalis.
- 22 Senatus inter decernendum articulum violentiæ quam opinionem servare debet.
- 23 Opinio communis Doctorum sive in lecturis, sive in tractatibus, vel in consiliis, sequenda est per iudicem.
- 24 Opinio quæ plurimorum autoritate comprobatur, præsumitur verior.
- 25 Nec ab ea recedendum in iudicando, & consulendo, ibi.
- 25 Senatus inter decernendum articulum violentiæ adhibere debet communi Doctorum, quam neglexit iudex Ecclesiasticus.
- 26 Opinionibus duabus contrariis aequè probabilibus, seu communibus, iudex Ecclesiasticus potest, quam maluerit eligere.
- 27 Etiam in foro conscientie.
- 28 Senatus præcisè tenetur inbarere ei opinioni, quam de jure potuit iudex Ecclesiasticus eligere.
- 29 Vim fecisse declarabit Senatus in dubio consistente in subtilitate juris, aut facti intricacione, &c.
- 30 Violentia sapit odium, & delictum.
- 31 Appellationi in dubio deferendum est.
- 32 Innovare non debet iudex sed supersedere in executione, ubi est dubium juris, vel facti, an appellatio teneat.
- 33 Delationi appellationis si pariatur dubium, etiam ubi regulariter est prohibita, deferendum est.
- 34 Prohibitio appellationis in possessorio, &c. est limitatio regulæ, & per admissionem in ea in dubio redimus ad eandem regulam.
- 35 Causis duabus concurrentibus, alia permissiva, alia prohibitiva appellationis, hæc ut fortior attenditur, quando constat apertè de prohibitione, secus si dubiè.
- 36 Recursus ad Regem est favorabilis omnino, & omni jure permissus, sub limitibus defensionis naturalis contentus.
- 37 Recursus ad Regem vergit in utilitatem utriusque rei publicæ, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, & seque.
- 38 In violentiæ cognitione non tractatur de imponenda pœna juris, sed an sit deferendum, vel non.

**L**ICET in specie Doctores tractantes de hujus Recursus ad Regem per viam violentiæ materia, nihil de propositis difficultatibus attingant, ex omnium tamen mente clarissimè apparet, quòd Senatores inter cognoscendum de hoc violentiæ articulo, teneantur respicere jus canonicum, statuta, concilia, & decreta Ecclesiastica. Omnes etenim dicti Doctores asserunt, Principem posse uti hac protectione, quoties iudex Ecclesiasticus contra decreta Ecclesiastica, & sacros canones vim facit, denegando appellationi permissæ, & violenter eadem pendente exequendo.

Sed ut articulus iste magis in specie tibi liqueat, notare debes, primò, quòd quando agitur coram alio iudice de processu alterius, an malè, vel benè processerit, iudex superior debet attendere, & considerare dumtaxat, an inferior servaverit statuta, & stylum sui tribunalis, ubi iudicavit: ita tenet Alexand. consil. 164. circa dubitationem, n. 3. & sequentibus, & n. 8. l. 6. Scacia, de appella quest. 18. sub num. 10. versiculo infero secundo, & post Joan. Andr. in rubr. de consuetud. & ex aliis idem firmat Roland. à Vall. cons. 48. n. 16. & 23. fol. 173. nam in his quæ respiciunt processum, superior debet attendere statuta, & stylum iudicis inferioris, in Margar.

- ad Innocent. in verb. iudex appell. sequitur Guid. Pap. tract. de appell. q. 52. subn. 40. tom. 5. f. 58. Rebuff. tract. de appell. art. ult. gl. unic. n. 44. Nat. cons. 33. cum quidem, n. 10. & quibus casibus dicatur legem, seu statutum respicere ordinaria, vel decisoria iudicis, vide latè Grassis de effect. cleric. effect. 2. à n. 13. cum sequentibus.
- 4 Hinc est, quòd si de re ecclesiastica agatur coram iudice seculari; prout usura, juramento, & similibus; tunc causa decidi debet secundum jus canonicum, non secundum jus civile, text. gloss. & communiter Doctores in c. canonum. statuto 1. in ord. de constit. per quem text. ita ibi adnotavit Abb. Socin. in cons. 77. n. 20. vol. 1. Marant. de ord. iudicio, in 3. p. 73. cum aliis latè per Felin. in c. cum caus. n. 1. de testib. Afflict. decis. 322. ubi Ursill. Cifuent. in l. 3. Tauri, n. 3. Avil. in cap. prat. c. 19. gl. guarder, n. 3. Montalb. in l. 4. tit. 5. lin. 1. fori, verb. acuerd. Villalob. in antino. jur. c. 1. n. 14. & 15. Plac. de delict. cap. 1. n. 24. Didac. Perez, in proemio legum ordin. q. 3. Bernard. Diaz in pract. c. 60. n. 7. Burgos de Paz in l. 1. Tauri, n. 602. Joannes Gutierrez de juramen. consirm. 3. p. cap. 17. num. 8. qui alios allegat, Marta de juris. 4. p. cent. 1. cas. 50. n. 5. de quo habetur in c. fin. de præscript. Hinc est ut laicus litigans coram ecclesiastico iudice, adstringatur juris canonici dispositionibus, & iudici ecclesiastici stylo, sicut e converso; Philipp. Franc. in cap. si duobus 7. §. denique, num. 2. versio. quid autem si laicus, & num. 3. & 4. de appellatione. Aretinus in cap. quod clericis 11. n. 9. & 10. de foro compet. Decius in cap. Ecclesia sancta Maria, n. 151. vers. ex præmiss. & num. sequentibus, de constitut. & esse communem omnium opinionem refert, & sequitur Cesar Contard. in lege unica, lim. 4. num. 6. Cod. si de momenta poss.
- 6 Et facit, quia si iudex ecclesiasticus subrogatur in locum iudicis secularis debet procedere eodem modo, & eadem forma, quæ secularis procedere debebat, docet Abb. in d. c. Ecclesia sancta Maria, n. 31. de constit. Rebuff. in tract. de nominat. nu. 23. pag. 140. Mandos. consil. 6. n. 16. Mier. tr. de major. 3. p. q. 1. n. 19. in noviori impress. ergo e converso ex identitate rationis.
- 7 Et magis in terminis facit elegans doctrina, quia appellationis admissio, seu non admissio; scilicet; an sit deferendum, vel non, est de appendiciis illius instantiæ, cujus est sententia, à qua appellatur, & ideo subjacet statuto, & stylo illius loci & iudicis, in quo est lata sententia, Rota Roman. decis. 330. resolverunt Domini, n. 1. & 2. part. 2. divers. & quòd appellatio sit de ordinariis iudiciis, & propterea in articulo; an causa sit appellabilis, vel non appellabilis, tanquam pariter ordinaria, sit attendendus stylus, jus, & statutum iudicis, à quo lis tractata fuit, tenuit, & sapius Rot. ut testatur Achill. de Grassis decis. c. 12. alias 238. appellationem esse, n. 1. de appellatione fol. 108. quam refert, & sequitur Marquessan. tractatu de commiss. part. 1. de commiss. appellat. super divers. cap. 28. num. 5. fol. 208. in secunda impressione, & dixit eadem Rot. decis. 181. caus. Rarmentens. sub n. 6. part. 3. lib. 2. divers. Scacia tractatu de appellatione. quest. 18. numero 5. ubi etiam dicit, quòd articulus, an sit appellationi deferendum, vel non deferendum, respicit ordinaria iudicis, secundum opinionem magis communem, receptam, & consequenter litigantes in Rota, etiam si in temporaliibus nullo modo essent subiecti Papæ ligentur constitutione Aegidiana, disponente super delatione appellationis in possessorio deneganda, idem tenet Cesar. Contard. in l. unica, in quibus Aegidia. qu. 6. sub n. 6. & 1. Cod. si de molen. poss.
- 10 Et quòd in possibilitate appellandi attendatur stylus, & ordo tribunalis; ubi proponitur, Baldus in lege 1. versiculo. extra queritur, num. 10. Cod. ne liceat tertio provocari. Alexand. in lib. 1. sub numero 14. versiculo extra gloss. ibi, deinde Bart. & sub n. 18. versus fin. & n. 19. ff. de legat. 2. Feli. in c. super his 16. n. 13. lim. 7.

sed contrarium de accusari. quod multò magis procedit in appellatione, ab interlocutoria ante diffinitivam, scribunt Archidiaconus in ea non ita 18. 2. q. 6. Abb. in cap. Ecclesia sancta Maria, in 1. repeti sub n. 25. de constit. Philip. Franc. c. si duobus 7. §. denique, sub n. 4. de appella. & post Decium Scac. de appella. qu. 20. n. 7. & n. 10. & 12. quòd iudex de gravamine appellationis cognoscens, an sit deferendum, vel non, & similibus, & quæ respiciunt ordinaria iudicis, debeat sequi, & attendere statuta, stylum, & constitutiones iudicis à quo, vide latè per eundem Scaciam ibi, à numero 1. Ergo sequitur evidenter, quòd cum in hac extrajudiciali cognitione per viam violentiæ tractetur, an iudex à quo illi; lam commiserit, denegando delationem appellationis, & ea pendente violenter processerit ad executionem; non solum jus canonicum in genere, sed in specie statuta, constitutiones Synodales, & stylum illius iudicis ecclesiastici, debeat Senatus inter decernendum violentiam omnino, & precisè attendere, & præ oculis habere.

Sed quid si deficit jus canonicum, quod in illo casu specialiter nihil determinat, an recurrendum erit potius ad jus civile (quàm Regium); Videretur, quòd sic, prout in terminis similibus dicit Præpositus, in c. consueto 1. d. n. 3. & Petr. de Ravenna in Alphabeta aureo in allegat. in materia consuetudinum, in prin. in 5. col. ad fin. quòd in Hispania iudex Ecclesiasticus potius debeat iudicare secundum leges imperiales, quàm secundum leges Regni, ergo Senatus in detegenda violentia, cum debeat attendere jus, quòd sequitur iudex Ecclesiasticus, videtur debere attendere jus civile, non Regni.

Sed contrarium verius est de jure, in utroque casu, imò quòd iudex ecclesiasticus, deficiente jure canonico debeat omnino recurrere potius ad jus Regni, (quia est jus commune ipsius) quàm ad jus civile, & leges Imperiales, sive converso, ex sententia Bal. in l. 1. C. de cess. honor. Ant. & Abb. in c. licet, de for. compe. tradunt ex nostratibus latius Palac. Rub. in introdu. ad rub. de donat. inter, n. 16. & 16. Villalob. in antimon. jur. litera... §. 1. n. 14. Didac. Perez, in legib. ordin. in q. 3. provincial. Parlador. Sessquicentur. differ. 2. à n. 1. & 2. ubi alios contrarium tenentes recenset, hanc tamen veriore dicit, eam etiam post Palac. Rub. & Doctor. Villadieg. tenet etiam, & bene probat Salced. in additio. ad Bernard. Diaz, in pract. crim. canon. c. 66. sub n. 6. fol. 245.

Et comprobatur etiam, quia licet leges laicorum non ligent clericos (prout tenent nonnulli citati per Mart. de juris. 4. p. cent. 1. cas. 50. à n. 1.) tamen id non procedit, primò quando deficit providentia juris canonici, quia tunc recurritur ad leges laicorum: c. 1. de novi oper. nuntia. & ea que hæctenus diximus.

Secundò etiam si non deficiat; tamen lex laicorum vel est approbata per Papam, vel tacitè recepta, quia tunc debet attendi in foro Ecclesiastico, ut firmat ipse Marta ibi n. 3. & hinc est, quòd quotidie vilem, stylum tribunalium Regalium servari, & practitari pariter in iudiciis Ecclesiasticis, qui licet deviet à jure, & stylo Romanæ Curie; nihilominus sustinetur, & approbatur per Rotam Romanam, prout plures decisiones citamus ad idem infra, 3. part. c. 9. an è fin. à n. 233. ubi latè. Et pro hac parte facit l. 1. in fin. tit. 18. lib. 6. recopil. quia leges Regni, quando practitantur in utroque foro, debent omnino servari, nec à tali praxi recedendum. Cumian. super statu. Mediolan. in prelatiis, n. 600. & 601. Alciat. tract. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 44. num. 17. Grass. de effect. cler. eff. 2. n. 133.

Igitur cum, superius probatum est, Senatus debeat attendere jus, & stylum iudicis, & fori Ecclesiastici, quæro, an potius debeat attendere stylum Romanæ Curie provenientem tanquam à fonte, & origine juris perennis; an verò stylum particularem tribunalis iudicis, de